



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Lectori Benevolo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

LECTORI BENEVOLO



Alincunte licet aetate, moralibus disciplinis enixe deditus, has tamen lucubrations prælo committere, adhuc hærebam, assidua lectione edoctus, incipiis consecutionem eruendam, quam fecundiora aliorum ingenia præoccupaverint. Cæterum cum Doctores in hoc florentissimo sæculo, in extrema declinasse animadverterem, alios in laxiora sæpe, alios in strictiora. Ut utrumque vitium fugerem, & nonnullos scriptores de Ecclesia benemeritos, a laxiorum statui carpete viam, & selectiores disputationes, quæ aliarum basis, & fundamenta sunt, in fasciculum colligere, gratius meo Lectori sic factum ratus, quam si apud alios tritis, & passim obviis, paginas replerem, foliaque magis, quam fructus propinarem. Utque haud levi hoc officio, arctius mihi te obstringerem, auctores fere omnes hinc inde concertantes, in prolixis voluminibus sparsos, eorum fideliter excerptis verbis, in unum coegi, ut mecum singulis veritatis scopum propinquius attingentibus, calculum maturius adjungerem, & in unaquaque controversia, quid tenendum, pro tenuitate mei iudicii, definerem. Quæ ut æquè, & utrique consulas, in memoriam revocare libuit, Principis eloquentiæ sententiam, exhibebat. *cap. i. excerptam.* Cujus vestigiis in Ethicis tradendis institisse, vitio non vertes. Ut autem, inquit, dicendi præscriberemus, omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime præcipere videbatur, excerptimus; & ex variis ingenis excellentissimæ quæque libavimus. Ex his enim, qui nomine, & memoria digni sunt, nec nil optime, nec omnia præclarissime quisquam dicere, nobis videbatur. Quapropter stultitia nobis vitæ est, aut à bene inventis alicujus recedere, si quo in vitio ejus offenderemus: aut ad vitia quoque ejus accedere, ejus aliquo bono præcepto duceremur. (attende) Quod si in cæteris quoque studiis, à multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo velent addicere, minus in arrogantiam offenderent, non tantopere in vitiis perseverarent, aliquo ex inscitia levius laborarent. * Sic Cicero rethoricatur, sic & ego theologizare decrevi. Quamvis enim omnes, qui præcesserunt Scriptores tanti ubique faciam, ut eorum sententias venerabundus suspiciam, nulli tamen alicui certo me addicere volui, sed ab aliis bene inventa ita suscipere, ut si quæ minus vera deprehenderim, modeste deferere, vel explodere quiverim, memor consilii Philosophi Cordubensis, *lib. de vita beata, cap. i.* * Nil ergo, inquit, magis præstandum est, quam ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non quod eundum est, sed quæ itur. At qui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima ratio, quæ magno assensu recepta sunt. Quorum exempla multa sunt. Neque ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coartatio aliorum super alios ruentium. Nocet enim applicari antecedentibus: & dum unumquodque mavult credere, quam judicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur. Veritasque nos, & præcipit traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modo separemur à cætu. * Hactenus Seneca.

Omnium igitur opiniones in re controversa referens, nec laxioribus collato studio adhærebo, ne ad rumorem componi, & ad similitudinem potius quam ad rationem scriberem: Nec strictioribus, ex industria me addicam, ut vel sic minus in arrogantiam offendam, & aliquo ex inscitia levius laborem: sed quas veritati conformiores judicaverim, sive pro lege, sive pro libertate pugnantes, prout Doctoris munere adstringor, eligam semper. Quæque veri habeat, diligenter inquiram; & nulli parcens labori inventum docilis præsequar. * Sin autem (ut cum Cicero) mea vota expromam) temere aliquid alicujus præscripsisse, aut non satis eleganter sequuti videbimur, docti ab aliquo facile, & libenter sententiam mutabimus. Non enim parum cognosse, sed in parum cognito, stultè, & diu perseverare, turpe est: propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari unicuique vitio est attributum. *

Ne autem plagiarius habeat, Lectorem monitum velim, nonnulla me ex optusculo Amadæi Guimenii, & ex ejusdem supplicii libello ad Emin. Cardinales, in has lucubrations coartum derivasse. Sed tamen necessarium prudentiores duxerunt, ut cujusdam Neothetici Scriptoris calumnias omnino multas diluerem, in fumumque & umbras abire facerem, quæ contra Amadæi Guimenii, in opinionibus restituendis, fidelitatem styli exerens, decemmatoremque agens passim jactat.

Anno igitur 1665. abortus est liber Pontificio fulmine in utero percussus ab Alex. VII. in Bulla *Cum ad aures*, edita die 26. Junii, ejusdem anni. In quo ejus Author Vincentius Baro. (quem cæteri Baronum, ipse vero Baronium æquivoce convertit) effrahi licentia, opiniones omnes, quas ex variis Authoribus fideliter excerptas, justæ defensionis causa, Amadæus traduxit.

LECTORI BENEVOLO.

traduxerat, ipsimet per summam calumniam affingit. Insuper Doctorum verba consulto præteriens, ut infidelis citationis illum inculset, in contrarium sensum detorquet, aut alia à se conficta superaddit, & non raro authoribus infalutatis, eorum verba intrepidè negat, omnemque in Amadæum lapidem movet. Sed infelici exitus, quia nullum in toto opere emisit (mirabile dictu) qui in fundibularii caput, obliquo ictu, non ceciderit. Et ut ex uno crimine omnia discas, (quod omnem admirationem superat) doctissimi, & Religiosissimi viri R. P. Fr. Luisii de Valentia, censoris Opusculi Amadæi, elogium & subscriptionem callide elevare molitur, & his non quiescens, nec inter vivos illum unquam deguisse persuadere tentat. Quibus stupefactus Amadæus, in supplici libello ad Eminentissimos Cardinales, in hæc verba prorupit. * Aliqualem ego, etsi prætenfam, Baronio excusationem meditabar, ut à remeritatis nota ejus ausum eximerem, quod in quaestione facti sic scripserit, quasi ad nullus, viri docti oculos, nec aures, ejus opus perventurum esset, sed solum apud imperitos, & igharos evoluendum, qui juxta ipsius diderorum, calumniarum, & convitiarum colluviem, causæ justitiam metientes, in Amadæum concitarentur. Sed jam neque apud istos Baronium fidem ullam facturum video, postquam illum inveni serio negantē in universo extitisse reverendissimum P. Fr. Luisium de Valentia, ex Capuccinorum Ordine, virum gravissimum, & in Hispania, præcipuè in Regnis Valentia, & Murtia, doctrina, prudentia, & religione notissimum, qui ex præscripto Vicarii Generalis Archiepiscopi Valentini, Amadæi Opusculum anno 1660. ad prælum Valentia approbavit: ut in fronte operis præmittitur, his verbis. *Approbatio Amadæum R. P. Fr. Luisii à Valentia, Ministri Provincialis semel, & iterum Ordinis Fratrum Minorum Franciscanorum Provinciae Sanguinis Christi, in Regnis Valentia, & Murcia, Sacre Theologie Antecessoris, ac Lectoris jubilati, & apud Fidei Iudices sacros in utriusque Coronæ Senatibus, Consilarii Qualificatus.* Hujus ergo tant viri, (qui hoc anno 1666. paucis ab hinc mensibus, plenus meritis naturale solum cum cœlesti folio commutavit) non solum memoriam abolere, sed nec inter vivos unquam extitisse, Baronius suadere tentavit. Imò parum id sensens, nec Capuccinorum Provinciam sanguinis Christi, in universo ordine esse, nec fuisse, testari, & comprobare ausus est (pag. 267. primæ editionis, *dispositio. 2. sect. 5. art. unico*) Plures, inquit, suspicabantur commentitium esse illud Capuccini elogium, & fraude Authoris ingestum suo opusculo. Ea opinione nil verius probant Capuccinorum querimonie, justissime, & Præpositi Capuccinorum Generalis omni exceptione majus testimonium, cui cum sui Ordines omnes sint notissime, nec Provincialium, aut celebriorum virorum nomen illum lateat, ut ab uno illustri Capuccino accepi, sanctè juravit, nullam extare hoc nomine sanguinis Christi sui Ordinis Provinciam, nec ullum cognomento Luisium à Valentia Exprovincialem. Sic ludit Baronius; istoque emendicato R. P. Generalis Capuccinorum verè commentitio testimonio, armis ac nomineloricatus, insidiosa arte, in ultimam Amadæi stragem molitus est. Sed dum primum hæc fabella ad Hispanorum aures pervenit (ut prælagus Amadæus prædixerat) non solum Doctores omnes, & Religiosi viri Universitatis Valentina, sed utriusque Senatus Regnorum Valentia, & Murtia Domini Inquisitores, tam ingens commentum ex ullius hominis cerebro prodire potuisse, obstupuerunt: & debitis inde præconiis, fidem Baronianam, ut in proverbium abiret, commendarunt. Quæ non paucis stomachum movit, & ad tanti sceleris penam, calamum non cohibendum, sed stylum exerendum judicarunt. Verum hanc Baronii criminationem opus non est aliter retundere, quam mutatis Tertuliani verbis ex capite sexto in Valentinianos. *Si ridebitur, inquit, materiis ipsis satisfiet. Multa sunt sic dignare vinci, ne gravitate adorentur. Congruit, & veritati, ridere, quia letans de amulis suis ludere, quia secuta, &c. ubicumque dignus risus, officium est.*

Nihilominus tamen, quia Vincentius Baronius iterato luci dedit ejusmodi librum, cui titulus *Manuductionis ad Theologiam moralem pars altera, &c.* auctoritate Apostolica in præcitata Bulla *Cum ad aures*, prima luce nondum potitum, sed præla fatigantem, prohibitum, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, contra legentes, aut penes se retinentes, aut locorum Ordinarii, aut hæreticæ pravitate Inquisitoribus non consignantes: idè ab aliquibus quaestionibus in hoc opus deriuandis, justæ defensionis causa, abstinere nequibo: tum etiam ne Tyrones nonnulli, ut audio, in suo errore persistant, non percallentes scopum Amadæi non fuisse de opinionibus, quas refert, judicium ferre, sed eas authoribus restituere. Tamen in quarta editione Matritensi, dissonantia ductus plures reprobaverit, pluresque gravi censurâ notasset, (ut in supplici libello testatur) si Tribunalium fidei judicium de ipsis ferendum non sperasset, contentus in prologo prædixisse, illas se referre, non ut probabiles, sed ut Anonymi non simplex inde innotescat animus, qui non eas ut debuisset, sed quæ unus, vel alterius Jesuita, etsi inter alios communes, in censuram vocavit.

Ex quibus apertè intelligitur, non Authorum quorumlibet patrociniū Amadæum suscepisse, sed unius, vel alterius ex Jesuitis, ut ab imposturis Anonymi, & Gregorii, Esclapes ejus pedisequi, strenuè vindicaret. Et quasdam tantum opiniones, quas vitiligatores isti ad invidiam universæ Societati conciliandam; ut temerarias, scandalosas, & erroneas traduxerant, ab hac fœdissima nota luculenter purgaret: undè in coronide sui operis concludit, dicens: *Quomodo scandalosa, & erronea? Vbi scandalum? Vbi error.* A quibus non exemit propositio-

nes

LECTORI BENEVOLO.

nes per summam calumniam Jesuitis affixas, neque alias ex variis Authoribus jure defensionis excerptas, & traductas. Hunc autem fuisse Opusculi scopum, & exitum, satis comprobatur præfatio Amadæi ad Lectorem, & rigorosum libri examen, autoritate Apostolica, viris doctissimis commissum. Quo diligenter præmissis, anno 1665. & 1666. Summus Pontifex Alexander VII. inter quadraginta & quinque propositiones ex variis Authoribus, quas ut scandalosas damnavit, & prohibuit, unam super viginti, ex præfatio opusculo eas referente, deprompsit. Quarum vix una Jesuitam patronum agnorat, ut constat ex ipso, ubi suis restituuntur Authoribus; & ex supplici ejusdem Amadæi bello ad Eminent. Cardinales & Sacre Congregationis Indicis integerrimos judices, novam opusculi editionem ab ipsis recens confixi, exorantis, ut opinionibus, quas ex aliis refert, suum omnibus, prout desideratur, (ne indocti in aliqua offendant) judicium adjungat. Et nisi mea me fallit spes, res pro votis succedet, & feliciori exitu. Quare, sine Dario, clarus Alexander. Interim verò, dum opus prælo paratur, ex questionibus, quas Amadæus historicè tantum, prout ad suam causam agebat, tetigit, in has dissertationes, eas solum derivabo, vel in compendium radactas attingam, quæ venenole morbi sui paratum antidotum exigunt. Ne (ut ait Cyprianus lib. uni. ad Demetr.) diffidens incipiat, quod tacemus, & dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agere. VALE.

Formalia Authorum verba, duplici asterisco, ** continentur.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS Iesu in Provincia Toletana.

Genefius de la Puente, Societatis Iesu in Provincia Toletana Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à Reverendo Admodum Patre nostro Paulo de Olvera Præposito Generali, facultatem facio, ut liber inscriptus: Selectæ Quæstiones ex præcipuis Theologiæ Moralis Tractatibus, P. Matthæi de Moya nostræ Societatis Theologi, & ejusdem Societatis grativum, Doctorumque hominum judicio approbatus, Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Matrui in nostro Imperiali Collegio, die 3. Maii anno Domini 1669.

Genefius de la Puente.

CENSURA REVERENDISSIMI PATRIS JOANNIS ANTONII VELAZQUEZ Societatis Iesu, in Castellana Provincia semel, & iterum Provincialis: & in Regno Salmanticensi Collegio quondam sacrarum litterarum interpretis, & nunc pro cæteru Immaculatæ Conceptionis B. Virginis à Rege Philippo Quarto, & à Carolo Secundo deputati.

LIBRVM, cui titulus: *Selectæ quæstiones ex præcipuis Theologiæ moralis tractatibus Authoris P. Matthæo de Moya Societatis IESU, olim in Collegio Complutensi Sacra Theologiae scholasticæ Professore*, ex commissione D. D. Don Francisco Forteza, Toletanæ Diocesis Vicario Generali, cui id juris est, ad censendum traditum accuratè legi, & attente per-
volvi, eumque dignissimum censeo, qui publicam lucem aspiciat; cum nihil orthodoxæ fidei, nihil bonorum morum integritati contrarium contineat; quinimò sit ex optimorum Doctorum placitis, veluti ex variis floribus texta corona pulcherrima spirans; per quam suaviter, & salubriter ad veram, solidamque moralem doctrinæ cognitionem, & accuratam difficultatum ad praxim spectantium solutionem: præsertim verò illud hoc in opere maxime laudandum censeo, quod cum hodierna tempestate valde sit anceps, morales dissertationes pro dignitate conscribere, tum quod ea de re, *libros scribendi nullus sit finis*; tum vel maxime quod dimicent, plerumque ex utraque acie Scriptores; dum alii actum agentes communia, & vetera transcribunt, quin aliquid de suo addant; alii è contra nova, & cruda